

Q. B. V. D.
MEDITATIONES NONNULLÆ
DE
CERTITUDINE
Et
PROBABILITATE,

Quas,

*Consensu Ampliff. Senatus Philosoph. In Regia
Academia Aboënsi,
Modeste examinandas sistunt*

AUCTOR

GABRIEL HEINRICIUS,

Magister Docens

Et

RESPONDENS

CAROLUS BRUSIN

Savolaxia Finlandus,

In Audit. Mai. d. XVII. Junii A. MDCCXLVI.

Horis ante meridiem solitis.

ABOË, Excud. JOH. KIEMPE, Typis Acad.

Sacrae Regiae Maiestatis,

Regniq[ue] Sueciae

SUMMAE FIDEI VIRO,

Illusterrimo & Excellentissimo

COMITI ac DOMINO,

**D^N. CAROLO GUST.
TESSIN,
SENATORI,**

Cancellariae Regiae CONSILIARIO,

Supremo Aulae MARESCHALLO,

Academiae Reg. Aboënsis CANCELLARIO,

EQUITI Aquilae Nigrae,

Mulagetae Incomparabili,

Domino Gratosissimo,

Tanta est meritorum Tuorum, COMES CELSISSE, magnitudo, ut inter maximos Heroes togatos, qui nostrum exornant seculum, iam dudum communi Orbis politioris iudicio sis relatus. Veneratur praecleara Tua facinora
Patria

Patria nostra carissima, quæ imprimis in rebus arduis & periculosis prudentiam Tuam singularem, cum tenerrimo boni publici amore coniunctam, plus satis est experta. Agnoscunt & predicant dotes Tuas prorsus illustres exteri, apud quos legationibus gravissimis defunctus ita Te gessisti, ut Ipse sagacissimi status Ministri gloriam sis consecutus, Patria vero varia emolumenta, nominique Sueogothico decus & splendorem conciliaveris. Neque solum Rex noster Augustissimus, Patria Pater Optimus, & Serenissimus Princeps Hereditarius, Fulcrum illud imperii Suonici exoptatissimum, verum etiam alii Potentissimi Europa Monarchæ, raram Tuam in rebus gerendis dexteritatem sunt admirati, idque multis documentis testatum reddiderunt, Nec suo officio in Te colendo deesse videntur Societates literariæ, quæ multum res suas firmari credunt, si Te inter sua Lumina numerare queant, cum satis ipsis constet, & solida Tua in omnibus fere eruditionis humanæ partibus cognitio, & ardor promovendi scientiarum incrementa earumque ampliorem in vita humana praxin. Hinc quoque multum sibi gratulantur Camæne nostræ Aboënses, quod Te, Macenas indulgentissime, Præsidentem ipsis suspicere liceat, Cui sane haud parum debet Patria, quod scientia humano generi utiles in eadem magis magisque efflorescere incipiunt, quodque gens nostra cum literatissimis Nationibus de palma contendere studet.

*Hec propensa Tua, COMES ILLUSTRISIME, in bonarum artium studia voluntas, & aliqua etiam argumenti dignitas, quod ad certas regulas revocatum, haud contemnendum in praxi negotiorum civilium spondere videtur usum, animum mihi addunt, ut hoc Schediasma Academicum Celsissimo Tuo Nominini consecrare sustineam; licet id non fiat sine
mul-*

multa tenuitatis meae conscientia, & aliqua etiam trepidatione; cum iudicium Tuum, exacta Scientia & multo rerum gerendarum usu ad summam maturitatem perductum, nil nisi limatum exigere videatur.


Suscipe igitur, venerabundus precor, solita gratia hoc quaecumque submisit meae pietatis pignus: respice quoque eodem vultu eius auctorem, quo eos dignari soles, qui sincero boni publici studio ducuntur.

Servet Te Decus gentis nostrae ad Nestoris annos Numen clementissimum, ut fera sit illa dies, qua respublica & civis & literaria tanto se columine orbatam esse cum dolore persentiscat! Ita vovet

**Illustrissimi atque Excellentissimi
NOMINIS TUI**

Clientis devotissimus

GABRIEL HEINRICIUS.



CAPUT PRIMUM.

In quo quedam de indole & veritate cognitionis humanae prenotanda adferuntur.

§. I.

Cogitationes, quatenus ipsis objectis consentanea nobis exhibent, *verae* salutantur, immo in abstracto *veritates*, prout nec in aliis casibus abstractum pro concreto ponere adeo est insolens. Est autem haec veritas Logica, quæ ipsam rerum veritatem aut si mavis, Metaphysicam præstruit.

§. 2. In multis nos ad aliquam veritatem pertingere posse, ipsa loquitur experientia. Et principia cognoscendi prima ea gaudent evidentia, ut naturæ mentis repugnet, eadem vel serio negare, vel de iisdem dubitare. Scepticus, utur dubitationibus plus iusto indulgeat, de omnibus tamen dubitare nequit.

§. 3. Quamvis igitur Historia testetur literaria, quos-

2
quosdam adeo delirasse, ut omnium veritatem, quin & suam ipsius existentiam in dubium vocaverint: licet quoque non defuerint, qui evidentissimum illud principium contradictionis, quod in omni alia veritate tacite supponitur, negare non erubuerint; illa tamen serio ab iis esse facta, nemo sibi persvadeat. Dubitationem enim simulare, & reluctante conscientia verbis venditare quid obstat?

§. 4. Unde fidem non tribuo alterentibus, universales dari Scepticos, si maior habenda ratio actus mentalis & interni, quam externæ professionis.

§. 5. Nos verum a falso in multis casibus evidenter distinguere, nemo negabit, nisi qui sensui interno contradicere & naturæ rationali renunciare voluerit (§. 2. 3). Ratio igitur adesse debet, cur veritatem ut veritatem admittamus, & a falsitate distinctam esse intelligamus. Enimvero id, unde aliquid agnoscitur, & ab aliis distinguitur, nota (*) ejusdem dicitur; veritatis adeo notas distinctivas dari evidens est, quæ in rationibus illis consistunt, quibus assensus veritati præstandus determinari debet.

§. 6. Illud heic observasse juvabit, cognitionis nostræ veritatem non semper iisdem superstrui rationibus, ex quibus ipsa rerum sive existentium sive mere possibilium veritas dependet. Sic experientia mea, testimonia aliorum hominum, quos fide dignos habeo, rationem mihi suppeditant, unde ju-

dicem

(*) *Notas has criteria, requisita ex characteres veritatis etiam dicimus.*

dicem, hoc vel illud factum revera contigisse; quis tamen asserat, experientiam meam & aliorum testimonia ipsam facti veritatem causari, aut si mavis, determinare?

§. 7. Præterea in meditationibus nostris effectus nos plerumque deducit in cognitionem causæ; a deoque hæc in cognitione effectus rationem seu fundamentum agnoscit. Interim in ipsarum rerum systemate causa prior est suo effectui, hujusque ratio in illa continetur. Et hinc vel obiter attendentibus patet, cogitationes nostras, quibus in veritatem penetramus, non semper illum sequi ordinem, qui inter res ipsas cognitatas vel cognoscendas intercedit.

CAPUT SECUNDUM.

De differentia & indole certitudinis & probabilitatis.

§. VIII.

Quando assensus noster, quem veritati præbimus, sufficienti nititur ratione, seu quod idem est, si notæ veritatis nobis perspectæ, sufficiunt ad eandem in casu dato evidentem agnoscendam (§. 5.), cognitio dicitur *certa*: in casu opposito *incerta* audit.

§. 9. Id quod ex ratione insufficienti nobis ut verum apparet, *probabile* vocatur: *improbabile* vero, cui opposita propositio est probabilis. Quod si

autem nulla ratio suppetat, quæ assensum magis in affirmativam, quam negativam inclinet partem, in statu indifferentiæ mens versatur, in quo nec probabilitati, nec improbabilitati locus conceditur, sed res ex omni parte *dubia* manet.

§. 10. Ex definitionibus (§. 8. 9.) allatis patet, certitudinem, probabilitatem & improbabilitatem non denotare quasdam affectiones in ipsis rebus, quæ considerationem nostram subeunt, sed tantum respicere mensuram cognitionis, quæ in cognoscente datur, quam diversam in diversis subjectis posse existere, nemo non largitur & quotidiana confirmat experientia.

§. 11. Hinc non implicat, ut unum idemque objectum, quod ex gr. in relatione ad Titium plena gaudet evidentia, Sempronius tantum probabile iudicet, Simplicio vero omni ex parte dubium, immo cimmeriis involutum tenebris esse videatur. Cave igitur ne ex gradu illo convictionis, ad quem tibi assurgere fuit concessum, alios diiudices.

§. 12. In probabilibus criteria quædam veritatis animadvertimus, reliqua vero, quæ ad constituendam rationem sufficientem sunt necessaria, utrum adsint, nec ne ignoramus (§. 5. 9.). Enimvero fieri potest, ut requisita posteriora reipsa deficient in casu dato. Cum autem nihil verum sit, nisi cui omnes veritatis characteres competunt, hinc vides sub probabilitate, quantumvis magna, posse etiam falsitatem latitare. Hinc Eloquentiæ parens lib. 4.

Acad. Multa sunt, quæ nos fallant, probabilitate magna.

§. 13. Cum oppositorum opposita sit ratio, patet simul, sub improbabilitate, quæ falsi speciem habet, veritatem in quibusdam casibus occultari.

§. 14. Veritatem dictorum (§. 12. 13.) sæpe experiuntur, qui rebus in vita communi gerendis vel præsumunt vel intersumunt. Quoties consilia, quæ optimis innixa rationibus esse videntur, ob quasdam intervenientes circumstantias, quas omnes prævidere humana non valet solertia, in irritum recidunt? Quoties actiones temerariæ, quæ in omnes probabilitatis & consequenter prudentiæ leges impingunt, exoptato fruuntur successu?

§. 15. Qui igitur iustum rebus decernunt premium, probabilia etiam illa, quæ magna veri specie ipsis blandiuntur, non sine omni formidine oppositi adoptant. Qui vero certitudine imaginaria se aliosque decipere & assensum fundamentis precariis superstruere didicerunt, metum istum, seu vanum exulare iubent.

§. 16. Interim certo respectu nullam involvit contradictionem, ut certa cognitio in iis, quæ non nisi probabilia sunt, obtinere dicatur. Ex notione enim probabilitatis ad casum specialem applicata modo infallibili subinde inferre licet, rem datam nobis esse probabilem. Licet igitur probabilia, utpote incerta, certa esse nequeant (§. 8. 9.), id tamen non obstat, quominus iudicium de probabilitate plenariam admittat convictionem.

§. 17. Unde errasse non est censendus, qui in defectu maioris lucis propositioni probabili, seu tali, assensum præstat, si vel eandem supponas esse falsam (§. 12.). Assensus enim heic nihil aliud importat, quam iudicare propositionem datam esse probabilem, qualis revera est in relatione ad cognoscentem ex hypothesi. Contra vero, qui omnimodam adeoque maiorem, quam merentur probabilibus tribuit fidem & sic certa cum incertis confundit, in errore manifesto versatur.

§. 18. Qui in disciplinis vel rebus agendis versantur, non infrequenter tales deprehendunt casus, in quibus argumenta in utramque partem oppositam prostant. Res igitur, de cuius accurata consideratione sumus solliciti, spectanda est ab omni latere, & sicut illi, qui causas forenses diiudicant, non solum unam partem audire, sed & alteri aures accommodare tenentur; ita idem institutum in probalitate diiudicanda est observandum.

§. 19. Opposita simul vera esse nequeunt. Unde si unum veritati esse consentaneum sufficienter perspicimus, eadem opera alterius falsitatem detegere licet. Certitudo igitur probabilitate opposita non infirmatur, nedum infringitur, immo probabilitas omnis evanescit, quando argumenta in contrarium offeruntur, quæ rem liquido demonstrant (§. 8. 9.).

§. 20. Quando probabilia inter se committuntur, rationum momenta in utramque partem sunt ponderanda. Quod si eadem æqualia prorsus deprehen-

hendantur, mens in dubio hæret, assensu in neutram inclinante partem (§. 9.). Habere enim rationes, sed utrinque æquales, & iisdem prorsus esse destitutum, recte heic habentur pro synonymis.

§ 21. Ubi inæqualia sunt argumentorum pondera pro utraque parte, validiora tollunt efficaciam debiliorum. In hoc igitur casu illud tantum relative est probabile, pro quo militant fortiora argumenta, licet utrumque absolute & seorsim spectatum sit probabile (§. 9.). Relativa hæc probabilitas coincidit cum absoluta, ubi argumenta tantum ab uno latere adsunt, in aliis casibus constituitur excessu illo, quo momenta rationum ab una parte alteri præponderant.

§ 22. Qui fundamenta quædam veritatis intelligit, non vero omnia, is partem eorum novit, quibus certitudo cognitionis in casu dato superstruitur (§. 8.). Cum autem illud fiat in persuasione probabili (§. 9.), non sine ratione eadem consideratur ut pars quædam certitudinis, & eo major est, quo propius ad certitudinem accedit, hoc est quo plura eorum continet, quæ ad certitudinem indicendam requiruntur.

§. 23. Probabilibus igitur, quatenus *m* maius & minus admittunt, determinata competit quantitas, quæ *gradus probabilitatis* haud inepte appellantur. Hi gradus multum variare & ab infimo ad summum per varios intermedios plerunque progredi solent. Summus hic gradus ad certitudinem adeo appropin-

8
pinquat, ut si eidem quidpiam addatur, in plenariam abeat certitudinem.

§. 24. Enimvero certitudo cum in quolibet casu omnia illa contineat, quæ ad plenam convictionem requiruntur, nec augeri, nec imminui potest. Unde eadem in puncto quasi constituitur, & nullos admittit gradus. Et hinc petenda est ratio, cur argumentum apodicticum, quod sufficienter animum convincit, eundem effectum præbet, ac plura eius generis argumenta conjunctim. Contra vero plures probationes probabiles probabilitatem adaugent.

CAPUT TERTIUM.

De usu certitudinis & probabilitatis in disciplinis & vita communi.

§. XXV.

Qui negotiorum in vita humana occurrentium indolem attentius considerat, facile animadvertere potest, plurima ex præscripto tantum probabilitatis in praxi vitæ esse peragenda. Immo summam saperet imperitiam, si quis in omnibus plenam hæc desideraret evidentiam, & sine eadem nullas actiones exercere auderet. Etenim haud raro dantur casus, in quibus actiones ex necessitate quædam sunt suscipiendæ, licet certum earum eventum, ob varias circumstantias a fortuna pendentibus, ne sagacissimus quidem prævidere valeat.

conf. §. 14. §. 26.

§. 26. Subinde negotia occurrunt, quæ nullam patiuntur moram, nisi occasionem rei gerendæ e manibus dimittere velis, quam alio tempore frustra expectaveris.

Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

Cum igitur diuturnis speculationibus ea, quæ agenda sunt, ad certitudinem heic deducere non liceat, & consilia in arena, ut dici solet, sint capienda; nemo non videt, in his circumstantiis probabilitatis ductum esse sequendum.

§. 27. Sæpe operæ pretium nos facturos haud arbitramur, si de omnimoda certitudine obtinenda simus solliciti, vel quod negotium, circa quod versamur, exigui nobis esse momenti videatur, vel quod magno probabilitatis gradui confidamus, quæ rarissime fallere solet. Et quis non miretur circumspectam nimis sollicitudinem fœminæ illius nobilis, quæ cum audivisset, quosdam laquearis casu obrutos misere interiisse, nullas in posterum ædes ingredi volebat, quas prius per famulos non exploraverat, ceterosque omnes, qui cautionem istam supervacaneam esse iudicarent, imprudentiæ coarguere non verebatur.

§. 28. Hinc licet probabilitas fallax subinde esse queat (§. 12.), illud tamen non obstat, quominus eidem in vita comuni multus sit concedendus locus (§. 25. 26. 27.). Cavenda igitur sunt iniqua imperitorum iudicia, quæ pretiam actionum humanarum

narum ex eventu metiuntur. Istud vulgare vitium acriter perstringit Poëta, dum ait :

- - - - - Careat successibus opto,
 Quisquis ab eventu facta notanda putat.

§. 29. Interim non negamus, in praxi eiusmodi quoque occurrere negotia, in quibus probabilia sectari non licet, sed tutissima incedendum est via. Immo ubique, ubi cetera fuerint paria, certa cognitio probabilitati est præferenda, cum principum melioris rebeat, ut in electione imperfectiora perfectioribus cedant.

§. 30. Cum exacta veritatum universalium theoria, quam disciplinæ rite institutæ nobis exhibent, praxi in vita humana prælucere eandemque dirigere debeat, peropus est ut imprimis in disciplinarum pertractatione certitudinis habeatur ratio. Quis enim negaverit normam ad quam actiones nostræ sunt conformandæ, oportere esse tutam & accuratam, nisi omnem applicationem incertam & per consequens periculosam reddere velimus*.

§. 31. Unde eruditi quorum est, veritatem sibi & aliis profuturam in lucem protrahere, operam dare tenentur, ut dogmata universalia, ad quæ in praxi seu ad cynosuram est respiciendum, ad iustam

itam

* Interim non diffitemur, incertum praxeos eventum non semper theoriæ generalis incertitudini esse adscribendum. Sæpe enim ille dependet ex defectu cognitionis circa particulares circumstantias, quæ negotium datum ingrediuntur (§. 25), ut alias nunc prætermittamus huius rei causas.

stam deducantur evidentiam, & ab exceptionibus, quantum fieri potest, liberentur. Et si verum fatendum, propositiones vagæ & multis instantiis obnoxia vix alium habent usum, quam ut in conversatione & cathedralibus velitationibus in dilceptionem abeant, aliis affirmativam aliis negativam non sine veritatis specie tuentibus.

§. 32. Neqve te moveat vulgatus ille canon: *Nulla regula est sine exceptione.* Si enim nihil proponi potest, quod non exceptionibus sit obnoxium, neque canon ille, cuius mentionem feci, universaliter est verus & per consequens se ipsum destruit, quatenus manifestam involvit repugnantiam.

§. 33. In eruditionis humanæ partibus varias occurrere quæstiones nemo negabit, quarum responsiones sufficientes nondum esse in potestate deprehendimus. In huiusmodi casibus, ubi certa cognitio ob vires ingenii nostri satis limitatas statim obtineri nequit, res probabiliter sunt disquirendæ & variis quoque modis tentandæ, quo sic viam magis magisque planam nobis reddamus, qua ad liquidam veritatem pertingere liceat. Et quis nescit, multa nunc esse in plena luce constituta, quæ ad certitudinem deduci posse antiqui vix divinare poterant?

CAPUT QUARTUM.

*In quo nonnulla de æstimanda probabilitate dis-
seruntur.*

§. 34.

IN negotiis vitæ multa probabiliter esse suscipien-
da dixi (§. 25. 26. 27.), licet successus non
semper votis respondeat (§. 12.) Enimvero, ut
quam minimum fallamur, & sic tuta, quantum fie-
ri potest, incedamus via, probabilitates variæ in-
ter se comparandæ sunt, & illa dein sententia eli-
genda, quæ maxima veri specie se commendare
videtur. conf. §. 29.

§. 35. Subinde sufficit, ut scias, hoc altero esse
probabilius, licet determinare nequeas, quantum
una probabilitas superet alteram.

§. 36. Verum enimvero nec desunt casus, in qui-
bus expectatio nostra, quam de eventus cuiusdam
futura, immo in genere de probabili rei cuius-
cunque veritate fovemus, debeat esse proportionata
quantitati probabilitatis, ne maiorem, quam par
est, spem concipientes, temeritatis pœnas dare co-
gamur. Qui igitur prudentiores aliis esse voluerunt,
ipsa necessitate magistra inducti de gradibus pro-
babilitatis ad mensuram revocandis cogitare cœ-
perunt (§. 23.).

§. 37. Communiter quidem homines rudi æstima-
tione, quæ nec exacta est, nec certis nititur prin-
cipiis

cipiis, negotium præfens tentare folent; nonnulli tamen, qui fupra vulgarem fortem heic fapere au-
 fi fuere, fuam fagacitatem circa particularia quæ-
 dam vitæ humanæ inflituta defiderari noluerunt,
 tum in fundamentis certis eruendis, quibus iudicia
 fua fuperflruerent, tum in gradibus probabilitatis
 curatius ponderandis.

§. 38. Res autem feliciter procedet, ubi Theoria
 generalis diiudicandi probabilitatis gradus exulta
 proficit, quam fub nomine Logicæ probabilium
 commendant, fed inter defiderata referunt Philo-
 fophi.

§. 39. Quoniam quælibet probabilitas fpectari
 potefl ut pars certitudinis (§. 22.), gradus eius-
 dem nobis intelligibilis redditur, quamprimum de-
 tegimus, quam ad certitudinem habeat relationem,
 aut fi mavis rationem.

§. 40. Exemplo rem illuftraffe iuvabit. Pona-
 mus Caium mihi narrare rarius quoddam naturæ
 phænomenon, quod inter fua oblervata refert. Cer-
 tus fum me veritatem in cafu dato didiciffe, fi hæc
 tria requifita concurrant, nimirum quod testis nec
 ipfe deceptus fuerit, nec me decipere voluerit, &
 denique fi fermone audito, mentem illius fufficien-
 ter intellexerim (§. 8.). Quod fi duo requifita
 adefle evidenter agnofcam, de tertio autem dubi-
 tem, gradus probabilitatis duas partes tertias cer-
 titudinis involvit. Quando vero de uno tantum re-
 quifito mihi conflat, gradum illum tertiam integri
 partem valere quis non videt? §. 41.

§. 41. Si igitur certitudo, quæ heic ut totum consideratur (§. 22.) habeatur pro unitate, probabilitatem fractione denotare licet. Et quidem gradus probabilitatis eo maior est, quo fractio eandem designans est maior; adeoque quo maior est ratio numeratoris ad denominatorem. Sic in exemplo dato (§. 40.) $\frac{2}{3}$ certitudinis magis valent ac $\frac{1}{3}$.

CAPUT QUINTUM.

Quod certitudinem analogam explicat, finemque tractationi imponit.

§. 42.

Quoniam in praxi vitæ humanæ plerumque non omnia ad vivum resecari solent, summamque *arbitriam* sæpe ipsa negotiorum indoles non permittit (§. 25, 26, 27.), hinc fit, ut summus probabilitatis gradus, immo alius quilibet admodum magnus certitudini subinde æquipollere censeatur. Unde & gradus eiusmodi honorifico certitudinis titulo in vulgari loquendi usu condecorari solet; nos tamen eundem distinctionis gratia *certitudinem analogam* (*) appellabimus.

§. 43.

(*) Recentiores quidam auctores eandem certitudinem vocant *moraalem*, licet alias immunes esse videantur a præiudicio quorundam antiquiorum, qui certitudinem disciplinis moralibus sine ullo idoneo fundamento derogare ausi fuerunt. Nos ne errorem optimo iure proscriptum

§. 43. Exemplo rem declarare lubet. Modi omnes, quibus variari potest ordo viginti trium litterarum, quæ Alphabetum latinum componunt, exprimitur sequenti numero: 25 852 016 738 884 976 640 000. Ego ne unius quidem thaleri imperialis periculo in me suscipere vellem, si vel vincendo magni Mogolis opes lucrari possem, litterarum rudem eadem tali protinus ordine dispositurum, prout requirit series alphabetica. Tot enim sunt casus æque possibiles, quibus perdere possum, quot monades in numero dato, demta tamen prius unitate, cum uno tantum modo vincere possim. Unde attendentibus patet, summum illum gradum probabilitatis, qui in priori casu adest, adeo parum heic differre a certitudine, ut differentia attentionem nullam mereri videatur.

§. 44. Interim cum omnis probabilitas etiam magna fallere queat (§. 12.), idem quoque de certitudine analogia est tenendum (§. 42.) Unde eadem omni exceptione non est maior, licet mens subinde in illa acquiescat, vel quod casus rarissime existentes pro non contingentibus habeat (§. 27. 44.), vel quod certitudinem plenam obtinere nequeat, adeoque in analogia subsistere cogatur (§. 42.).

§. 45. Sic ex. gr. plurima pars probationum iuridicarum, probabiliter tantum facti veritatem com-

mon-

denuo in scenam revocare videamur, alium terminum commodiorem, non plane invita loquendi consuetudine, substituere consultum duximus.

monstrat. Quis enim ignorat testimonia, propriam confessionem, iuramenta, instrumenta & quæ sunt alia eiusdem generis fallere posse? Hoc tamen non obstante lex civilis probationes istas in casibus bene multis sufficientes iudicat, quibus fides plena tribui, sententiaque decretoria magni quoque momenti superstrui queat. Istud enim nisi fieret, omnia fora ad perpetuum fere silentium redigerentur, & paucissima tantum facta iuridice probari possent. Ob evidentem igitur civitatum usum casuum admodum raro contingentium, in quibus probationes laudatæ successu exoptato destituuntur, ratio in præfenti negotio non habetur, sed valere iubetur regula, quæ sæpe alias in negotiis civilibus obtinere solet: *Minima non curat Praetor.*

§. 46. Interim cave existimes, nos frigidam illis affundere, qui circa fidem Historicam, quæ testimonio humano nititur, probabilitatem tantum admittunt. Ab illa enim sententia longissime remoti & contrarium re exigente, demonstrare parati sumus.

§. 47. Ex his, quæ disputata sunt, satis patere existimo, quomodo certitudo analogica a certitudine strictè sic dicta differat. Differt enim ut pars a toto (§. 22. 42.), licet differentia subinde adeo exigua sit, ut tanquam pars contemptibilis parvitas considerationem in praxi non ingrediatur (§. 44.). Nec eadem in puncto consistit, sed aliquam habet latitudinem (§. 24. 42.), coniuncta quoque est cum aliquali metu oppositi, qui tamen subinde

de adeo levi nititur ratione, ut parum absit a demencia, eius aliquam rationem habere (§. 17.).

§. 48. Cetera, quæ restant circa materiam nobilissimam, aliis, qui magis ingenio valent, discutenda relinquimus. Forte nonnulla huc spectantia aliaque his cognata fusius olim persecuturi sumus, si aliquando eluctari liceat ex illis difficultatibus, quæ nos nunc premunt, quæque non parum impediendi adferre videntur, quo minus animus ad præclaras cogitationes ascendere valeat. Enimvero sicut illud supremæ providentiæ venerabundi committimus, cuius decretis acquiescendum esse satis novimus; Ita leves hos conatus ea, qua decet, observantia benevolis lectorum iudiciis commendamus.

COROLLARIA.

Cor. I. Cave cum nonnullis existimes omne probabile esse possibile (§. 12.).

Cor. II. Conceptus probabilitatis a nobis suppetitatus (§. 9.) non convenit cum definitione Wolfiana, licet prima fronte ita videatur.

Cor. III. Si ex propositione quadam sequatur eius contradictoria, priorem esse falsam ac posteriorem veram, sana docet ratio, & exemplum (§. 32.) propositum confirmat.

TANTUM.

À Monsieur CHARLES BRUSIN,
Détenteur de cette Belle, Dissertation.

Les Modernes ont inventé diverses méthodes pour découvrir avec exactitude & précision les mesures de plusieurs quantités, aux quelles les Anciens n'avoient pas même pensé. On s'est aussi appliqué à mesurer pareillement les degrés des vérités probables, dont on traite plus à fond dans cet ouvrage que Vous Vous proposez, Monsieur, de défendre. S'il m'est permis de décider probablement, je m'assure, Monsieur, que Le Public Vous en sera redevable & qu'ainfailliblement on ne pourra Vous refuser les louanges que Votre mérite Vous aura procurées. Comme j'y prens part autant & plus qu'aucun autre Vous pouvez Vous imaginer, Monsieur, si mes Voeux répondent en cela aux vraies intentions de mon coeur puisque je suis sans fard

Votre très obéissant serviteur
Samuel Jean Delavall.